



BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI

3695





SYNODVS AVIVM
DE PINGENS MISERAM FACIEM
ECCLESIAE PROPTER CERTAMINA QVORVN-
DAM QVI DE PRIMATV CONTENDVNT,
CVM OPPRESSIONE RECTE
MERITORVM.

ITEM:

HORTVS LIBANI
IN QVO DEVS SALVTARES PLAN-
TAVIT HERBAS, ET DEGENERES IRRE-
Pserunt, eumq; deforma-
tunt.



A N N O

1 5 5 8.

46207

MVIVAS VNDIS
M
CAM OREBBOE RECCE
M

HORATIUS LIBANI
IN OVIDIUS SALUTARES PLAM
TAVIT HENRICKUS DEGENGERS TERRA
BONUM, secundum degennerus

ОИИА

XVI. gu. 3695

SYNODVS AVIVM.

EX quo Cygnus ouans flauentis ad Albidos oram
Clauderet emeritos fatorum numine cursus.
Vitaq; cum cantu finita uolauit ad auras:
Continuò uisum est auibus cantare peritis
Cogere conuentum, uacuis ut sorte reponant
Sedibus artificem, cuius censura sonoras
Digerat alituum linguas, qui iura uocatis
Poneret agminibus, melior qui carminis autor
Inter aues dubiam posset dissoluere litem.

Accingunt se omnes sorti, pars asserit ipsum,
Portendi fatis Cuculum, latissq; uocari
In regna auspicijs uoluit quia pectore sortes
Augur, & aduentu tempus præcurrat apricum.

Sunt quoq; qui Gallum strident in scepta reponi,
Indice cum Petri lapsum clangore notari
Quando fides linguae renuit temerata magistrum.
Idem etiam indicio rudibus solet esse colonis.
Aeolij fratres qua nam regione ferantur.

Nec minor est numerus Merulam qui poscere sortes
Inculcant, pronoq; ferunt suffragia uultu.
Fallitur, & fallit uulgi qui pendet ab ore,
Pronum iter ad lap Sus uulgi sententia dicit.

Sed uolucres quarum melior sententia menti,
Mansuetæ uolucres, operam quæ nempe canoris
Vocibus impendunt, uno omnes ore loquentes
Vota dabant Philomela tibi, quam docta uetus

A ij

Incita

Incita delitij cantus Aedona uocauit:
Cui Deus & Musæ blandas in carmine tñres
Suffecere, fugant curas hominesq; feræq;
Illa canit, plausu cordis salit abdita uena.
Non illam stimulis carpendi saeva cupido
Suscitat, haud rostro metuenda ac unguibus uncis,
Sola auium summæ non horret acumine linguae.

Dumq; in confessu primo sors cœca uagatur,
Atq; animos nunc hue celeres, nunc diuidit illuc,
Exemplò se quisq; suis è sedibus auffert,
Incertus quo fata cadant, quem nomina poscant.
Nec minus hi tabulae mandant consulta fidelí,
Inq; fori rostro facti monumenta relinquunt.

Interea uolucres quarum data nomina sorti.
Astu rem superant, & partibus agmina furtim
Adsciscunt conflata suis, & foedere pacto
Sollicitant, qui frena fori commissa gerebant.
Nec Philomela dolos agitat, nibil illa moratur
Turpia laturos spretis suffragia diuis.
Progeniem nidosq; fouet cum gente canora,
Nec se passa loco est Borea stridente mouere,
Quamuis multa piam iaciebant Saxa uolucrem,
Et circum Illyrica pice nigrior horruit æther.
Sedit ouans animis, atq; in statione remansit
Laude Dei plenas iactans ad sydera uoces.
Circum Prata uolat riuis quæ semper ab albis
Sparguntur, pinguesq; creant animalibus herbas.

Dumq; noui rursum conuentus copia facta est,
Instructi socijs obeunt tempusq; locumq;.
In Merulæ causam descendit in ordine primo
Turdus edax, cuius fruticans de stercore uiscum

Editur

Editur in ramis, sterilisq; in tempore brumæ
Frondë micat uiridi, quod non sua seminat arbor;
Cognati & generis uolucres se cœtibus addunt,
Quæs uictum è baccis serum dumeta ministrant.
Hinc Vireo tepidis nostras qui mensibus oras
Visit, & Arcturi rursus sola mutat ab ortu
Compositus Merulae se partibus, & fora pressit.

Mox se congressu in medium tulit æmula Pica,
Quiq; Merops maculis dorsum uariatur amoenis,
Ac Vlulæ riguam dira quæ uoce quietem
Discutiunt radios exosæ lucis apertæ,
Addunt se socias, atq; agmina conscia iungunt
Cristatae uolucris, rostro quæ clangit, & alis
Plangit ouans alti fumoso in culmine tigni.

Ponè latus Cuculi incedunt quæ liquida stagna
Sectantur uolucres, mergi, fulicæq; marinæ,
Autores pluviæ tempestatumq; sonantum.
Cernitur has inter Vulcani subdolus ales
Clandestina ferens Cuculo suffragia Phœnix,
Rara avis illa quidem circum cauallitora, saui
Impaciensq; maris, nec consociabilis ulli
Improba quæ soluit garritibus ora, uolucris,
Attamen adplaudit Cuculo, nec secuus illum
Ipse suis plausum facientibus excitat alis,
Quam faber admotis qui follibus excitat ignem.

Stant cōtra innumeræ uolucres quæs carmina curæ
Præsertim Cuculo uires intendit Alauda,
Et uictum in dumis quæ carpere gaudet Acanthis,
Atq; alacrem Fringilla sonans arguta tenorem,
Et Currucæ timens ingrato ex hospite stragem.
Omnes dulcisonam uotis Aedona petebant,

Illam laude uehunc, præstet quia laude canendi.
Verum hæc non uoluit se cœtibus addere prauis,
Vidit enim Cuculum magna uolitare caterua.

Tum quassans caput hæc Coccyx ex ore profudit:
Non latet, ô uolucres, Cygnum quod fata tulerunt,
Atq; idèo regnis ductorem poscere sortes,
Quem penes arbitrium est, & uis & norma canendi.
Consulite in medium, quem sors uolet, arbiter este.
Nam uereor scissam studia in contraria gentem
Prædonum arripiat rostris ne exercitus uncis,
Quare agite ô lapsi generis reparate ruinam,
Ut coëant stabili fatorum numine mentes:
Fas etiam premere imperijs, ac addere multam,
Olim qui nostras tenuatim euertere uires
Conati, & plumis inoperta relinquere membra.
Quos ego; sed medijs uox rupta in fauibus hæsig
Collisu, & foëdis singultibus impulit auras.
Inuenti tamen interea qui pingue sonantem
Exciperent plausu, dum flaccida carmina stultus
Collibus & Saxis delyro narrat ab'ore.
Stulta placent uulgo, studijs certamina crescunt,
Præsertim Merula adplaudens his uocibus infit:
Fas tibi me cessisse loco, tibi Iupiter æquus
Annuit imperium, tu nunc eris alter ab illo,
Quamuis tu niger es, quamuis sit candidus ille,
Et te uulgas amat, uulgo tua carmina curæ.
Tu pueris responsa refers cum tempora uitæ
Scitatum halbis poscunt oracula linguis.
Sis bonus ô foëlixq; tuis, tua iura uolentes
Accipimus, nec nos Cuculo parere pigebit.

Non tulit ulterius Bubo, sed talibus infit:
Non ô non uolucres, non hoc rationibus ullis

Sors

Sors uelit, à diuis meliorem poscite mentem,
Non ô non uolucres, non si mihi Iupiter author
Spondeat hoc sperem pacem contingere rege.
Quandoquidem à nobis fatorum exquirere sensus
Agmina uestra solent, nec uos latuisse putandum est,
Quod lini segetem præcepi auellere fulcis
Dum rudis exigua latuisset messis in herba,
Ne uos texta olim traherent, & abire uetarent:
Quare agite, ac animis quæ dicam expendite uestris.
Non Cuculum ex adyto sortes, non plurima cœlo
Monstra sinūt Cuculum gregibus dare iura uolantum.
Sors cadit in Gallum, namq; illum poscere fata
Et reor, & monitis si quis locus amplius, oro.
Non somno indulget, sed cum intempesta silet nox,
Plumeaq; in sylvis repetunt animalia nidos,
Scilicet & rostrum tepidas fixere sub alas:
Clangit ad arma furens, & uoce silentia turbat,
Et rostro fractos sonitus imitante tubarum
Excubitor lucem mortalibus indicat ales.
Idem etiam pugnis aptus, nemo acrior illo
Vngue notare hostes, & rem decernere rostro,
Tum uocem exceptit Fringilla loquentis ab ore:
O si non pluuiæ, nec tempestatibus atris
Seruiret, pennasq; ad motum uerteret auræ
Gallus, quem uarijs in cœlum laudibus effers.
Sicq; utinam pugnis aptus, ne turgida pulsu
Soluere labra queat: certè nemo acrior illo
Ante aciem, Solus non mille uerebitur hostes.
Stare loco nescit, micat eminus, & tremit alte,
Et leuior folijs quauis impellitur aura.
Quæ nam igitur uolucres, quæ uos sententia cogit
Præficere imperio Gallum, qui in sorde solebat
Stridenti miserum rostro disperdere carmen,
Qui rostro petit, & pedibus qui spargit arenam,

Qui

Qui Cuculum non odit, amet tua carmina Galle.
Nos legimus regno uolucrem, cui cura modestæ
Pacis erit, doctaæ cui copia uocis in ore est.
Sed ueterem repetit Coccyx in fronde tenorem,
Nec certa ratione loci, nec lege tenetur,
Nec præsens habet ille fidem, licet arbore in illa
Confessu medium sese tulit, ocyor Euro
Turpe iter arripiuit, sedemq; in uoce relsquit,
Et singultanti inuolutus nemus omne ululatu.
Ponè stat, & mœsto tundit sua pectora planctu
Suppositum Curruca uocans in crimen alumnum,
Et Cuculi nomen defert de cæde peracta.
Hospes ut hostis erat, generis nam funere nostri
Ingluuiem expleuit, natosq; ante ora parentum
Immersit rabidam, quod nec bene uertat, in aluum.
Me quoq; ab infido nil hospite tale timentem,
Plura locuturæ lacrymæ super ora fluebant,
Substitit, & uocem medium indignata repressit.
Excipiens Fringilla sonum mox talia subdit.
Hic quoq; cum tropico Sol uertitur in Capricorno
Vertit terga fugæ, & putri se occultat in altio
Arboris, eq; hominum aspectu sua substrahit ora.
Hinc illi obijciunt uates pro carmine crimen,
Quod salice exesa lapsus discriminé uitæ
Pressit humum turpi feedatus puluere uultum.
Occidit exesa delapsus ab arbore Coccyx,
Quis poterit longos cantu nunc fallere soles?
Tu Philomela potes, dominam te regna tenere
Fata uolunt, tibi uox, tibi sancta modestia uocis,
Tu cantare potes, & respondere parata es.

Vidi ego nec fallor dum lustro uolumina iuris,
Censuræ exemplum flammis quæ destinat ipsum.
Nam sarmenta focis postq; congregavit alendis
Cultor agri, & trunci nemoris eaua robora passim
Voluit,

Volut, & hyberno iam in sidere subdedit igni,
Ille ubi sufflato sua membra uapore resolui
Senserat, ardenti sonitus emisit in antro,
Ver ratus apricum mediæ sub frigore brumæ.
Si quis in ambiguo est, quantum focus ætheris igne
Discrepet, ille foci crassus uapor, & leuis ignis
Aetheris inter se qua sint ratione repulsa,
Et quantum hiberno tepidum uer frigore distet:
An uolucrum norit discrimina ponere linguis?
Quin etiam furiae quas ipsa è stirpe parentum
Induit, incessunt stimulis præcordia, ut omni
Impete bellorum feruens Aedona lacescat.
Illa canit, strepit opposito rudis agmine Coccox
Certandi studio, crudoq; fatiscit hiatu
Quo morsu appetiit mansuetas prædo uolucres.
Quod supereft, quoniam coetu conuenimus illo,
Non raucas inflare tubas, sed dicere uersus:
Tum missum facite ô proceres genus omne uolucrum
Quod curuo increpitat rostro, strepitumq; retusum
Mittit, & offendit diris stridoribus aures.
Heu ualeant omnes, genij qui iura canore
Inuertunt ficto, peregrinisq; æmula linguis
Soluere rostra student, hominumq; illudere uoci:
Ut Merula, & nigris uelata Monedula pennis,
Picaq; quæ uarias emitit stridula uoces,
Et pictæ uolucres rutilis in teriore guttis.

Occinit his contra ferali carmine Bubo:
Hæc Fringilla tibi potior sententia uisa est
Forsitan, & proprio sic digeris omnia solus
Arbitrio, & Ialemo tua guttura soluis equestris,
Credimus an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.

Cui Fringilla refert, ô NARRans plurima Bubo.
B Graij

Graījs ingenium, Graījs dedit ore rotundo
Musa loqui, & uocum iuslīt discriminā nosse,
Et straves aurūm cantus discernere sensu.
A Cuculi strepitu, coruorum à carmine crasso,
A Galli crepitu, & Picæ stridore loquacis.
Idcirco resonam quia poscunt fata uolucres:
Debentur meritō Philomelæ regna canoræ.
Nec me quisquam adiget uocem mutare, piumq;
Consilij fœdus, dum sp̄iritus hos reget artus.

Annuit, & partes assensibus implet Acanthis,
Tandem paucā refert: ego te, quæ dulcia grato.
Ora sono soluis, nunquam Philomela negabo.
Promeritam, nec me mea carmina ab ore pigebit
Composuisse tuo, nec Musis gratior ulla est
Quam sibi si qua tuum pr̄scripsit pagina nomen.

Tum sic incutiens cristas excepit Alanda:
Idem animus nobis, nec erit qui tendere contrā
Iure queat, sacrasq; infectum reddere sortes.
Scitis aues, scitis, quod idem mihi nomen & omen,
Et me iam pridem uates à laude uocarunt,
Nec mihi iam subeat nomen mutare uel omen.
Ergo ego laude ueham gratis hominesq; deosq;
Per liquidos auræ tractus cum carmine tendens,
Dumq; cano, pulsæ referunt ad sidera Valles,
Et linguam soluo supr̄ i caput arua colentum,
Qua soleo curas animis auertere mœstis.
Huic uolucris acceptum, si quid mea carmina possunt,
Et ferimus, uotisq; illam hæc in regna uocamus.
Sic ait, & misso rursus uelut ante Senatu,
Tollunt se uolucres celeri super aëra lapsu,
Nam fors euentu congressum lusit inani.
Grammatici certant, & adhuc: uelut aspera uersis.

Flatibus

Flatibus ambigui commitunt prælia uenti,
Et magna inuoluunt umbra terramq; polumq;. M
Iamq; in procinctu Cuculus per tefqua uolutus
Errat inops animi, & se putre recepit in antrum;
Qualis sæpe rubis latuit nocturnus abactor,
Qui pecudum numeros minuit, fessosq; uiantes
A tergo superans lethalibus obruit armis.

Cumq; nouum uegetis reparabat flatibus orbem
Verna dies, denso spargens rus omne uiore,
Et tepidam uolucres mulcentes cantibus auram
Signa dabant: Cuculus plumis petit arua renatis,
Atq; rudes fœtus Currucæ in tecta reponit.
Et morsu uiolans paruae bibit oua parentis.
Cumq; infirma parens intenso ardore reclusit
Ambiguam prolem toto quæ uertice supra est:
En rabie pastus uentrem stimulante, tenellis
Excepit uictum natis, dehinc uertere morsus
Exiguam in matrem penuria adegit edendi.
Ecce autem Philomela tuos postquam hausit uterq;
Concentus, & uox offensa resultat in aurem:
His super accensi confusa mente ruebant
In fremitus, quia nam cantus exosa strepentes
Gens aurium docto Philomelæ ex ore pependit.
Quia propter uolucres iam rursus in agmina cogi
Edicto iubet, hæ cœtu subiere frequenti,
Ac Aedona parant rabidæ sociare uolucri.
Aut, quod fata prius conuertant omen in ipsas,
Seu ui, siue dolis Philomelam absumere certum est.
Sensit enim se ignominiam pro laude referre,
Seq; pati turpem spreta cum uoce repulsam
Carmina dum sanas Philomela referret ad aures.
Id metuens, trahit in partes qui pacis iniquæ
Imponat leges, & pectora foedere iungat.

Atq; huius fidei res componenda relicta est,
Et quia felle caret res est commissa columbae,
Sæpe uicem fidi quando cursoris obiuit.
Nuncia quæ ramum semper frondentis oliuæ
Ore uehens, specimen dilapsæ præbuit undæ:
Sed renuit, duramq; uicem uersare recusat
Non operam impendens ullam non aqua roganti.
Antra colo, & teneros labor est educere foetus,
Non nostrum inter uos tantas componere lites,
Mecum habito, & uitæ cursum sine fraude peregi.
Sed si tantus amor paci submittere mentes,
En adsum, tuaq; en ultro mandata facebam.
Ne rime alias tanto exponat mens læua periculo,
Ut subeat, diræ gentis penetrare latebras,
Et Cuculi præsens audire & reddere uoces;
Non bene cum placidis immittia corda cohærent,
Et si ritè memor maiorum exempla reuoluo,
Sueuit in Accipitris Cucus migrare figuram,
Ut quondam exuuijs Erucae blatta creatur,
Crines, non animum mutat lupus intus auarum.
Hæc ubi dicta, uouent furiarum in iura columbam,
Et numero excludunt hei plana & sana locutam.
Iamq; iterum sors missa cadit, teq; Ispida Coccyx
Adiunctam Merulis quæ liquida stagna frequentant,
Ire iubet, tabulis instructam ac arte Pelasga.
Illi pauca refert Aedon, quia uerna subibant
Tempora cum dulcem sub apertis ætheris oris
Funderet illa sonum, carmenq; referret ad auras.
Parua mihi uox est, parui sine uiribus artus,
In statione mea mandato munere fungor
Ora Dei iussu soluens, teneramq; labore
Progeniem antiqua sub religione tueri,
Quæ potui feci, commisi cætera diuis,
Sed passim tot monstra fero, obscuræq; uolucres

Inten^sa

Intentant mortem, nec quæ sit causa uidemus,
Omnibus inuisi uitales carpimus auras.
Sæpe mihi scrobibus fraudes posuere cauatis,
Sæpe sub exitium dapibus traxere repostis.
Sed Deus est cui grata cano, sortemq; laboris
Impendo, & teneros educo in regna nepotes,
Ille meas superare preces, ut cernis, & ipsum
Ludere quæ poteram syluis permisit amoenis.
Ille tegit iustos, illi mea carmina curæ.
Non mihi cum Cuculis in fœdere gratia constat,
Nec mea ad immanes inflectam guttura uoces.
Ipsi more suo feriant clangoribus auram,
At mihi tranquillæ placeant ante omnia Musæ.
O mihi si tumulo tum molliter ossa quiescant,
Si purum pietatis opus, pacemq; relinquo.
Vis ergo inter nos quid possit uteq; uicissim
Edamus specimen, per me mora non erit ulla
Incipiat, finemq; exacto carmine tangat.
Hæc contrâ Cuculo retulit mandata uolucris
Singultum in dumis solito de more canenti.
Tum se quisq; fori rursum è statione mouebat,
Fata obstant, uiresq; negant in coepita secundas.
Sed quid agunt: illis nil linquere suasit inausum
Seu dolus aut uirtus, nam tanti in fœderis isti
Non operæ parcit Trochilus, qui prouidus auræ
Impendere niuem Cuculi quæ cantibus obstet
Sensit, & hinc uoluens sua membra, iterumq; reuoluens
Ora uolubilibus contorquet stridula cannis,
Tinnitusq; ciet lenes; ceu quando magister
Torquet agens circum luteas uertigine testas
Leuorem inducens speculi de more nitentis.

Atq; his, atq; alijs innoxia cantibus ales
Tunditur, & uoces diras tractabilis audit.

Mens tranquilla manet, non ullis illa mouetur
Ictibus, haud autem fora, nec rabida ora moratur.

Et iam finis erat, postquam sententia lata est.
Quæ rostri pro lege sui componere uocem
Imperat, ut fissis didicerunt carmina linguis.
Sint uice suggesti coruo crudelis tigna
Furcarum, atque illic generi det iura rapaci.
Stridula porticibus iactet se Noctua uastis,
Stagna colat Merula genus, & uada coerulea ponti.
Plaustra premat Gallus spolijs armata cruentis,
Aut ubi cortis aues foetus in cratibus edunt.
Cum Scythiae populis ineat certamina Gryphes,
Et cesserit putres auibus componere pisces,
Nec uolucrum certet linguis, uelut æmula rana
Quæ cum sit sub aqua, sub aqua maledicta refundit.

Sed sedem in tilia teneat Fringilla uirenti,
Montibus in nitreis Aedon, Cassita Sudetis,
Collibus & dulcis uini cantillet Acanthis:
Donec tempus erit quo corruat ardua coeli
Machina, complexuq[ue] premat genus omne uoalntum.

IDYLLION DE PHILOMELA.

VER erat, & lenem meditans spaciar ad Albim,
Ore facit dulces qua PhiloMela sonos.
Quæ quantum reliquis præstat moderamine uocis,
Respectu reliquis tam solet esse minor.
Hæc sedet insomnem cantu solata laborem,
Laudat & in ramo grata uirente Deum.

Vtq[ue]

Vtq; animum cœpit uocis miscere uenustas,
 Miro & argutos & sine felle sonos:
En strepitum rostro turpes fecere uolucres,
 Et stomachum mouit stridula turba meum.
Hanc uagus infestat Cuculus certamine linguae
 Fundens delyris flaccida uerba modis.
Huius spuma solet raucas generare cicadas
 Cum folia immundis polluit ipse notis.
Iungit se comitem stridenti carmine Gallus.
 Turbatrix placida nempe quietis aus.
Et procul innocuum pennis se tollit in hostem.
 Arteq; cum nequeat, Marte nocere cupit.
Hinc intumida suas quoq; conserit Vpupa uires,
 Vpupa Stercoribus semper odora suis.
Hinc Merula impellit calidas in iurgia mentes,
 Pectore nigra suo, uoce superba sua.
Tu quoq; uoce furens clangorem mittis Osyna,
 Consita quæ multo pisce fluenta colis.
Quem mihi spes fuerat pacis Sarcire ruinam.
 Consuit in rixas fragmina trita nouas.
Improbis Agricolæ fumoso Grillus in antro
 Hanc quoq; stridenti uoce lacepsit auem.
Nec Philomela suæ differt modulamina linguae,
 Sed spargit uario nuntia læta sono.
Ac aduersa pio uincit mala corde ferendo,
 Pacis amans uulgo iudice spretus erit.
Talia dum cerno peragi spectacula cantu
 Alloquor; ô uolucris quæ mihi sola places?
Quas tibi, quas tali reddam pro carmine grates?
 A scrobe conseruent Di tua membra diu.
Te semper mea uita sequar, tibi luce canenti
 Tendimus has aures, cætera turba uale.
Quem tua non captum mira uox detinet arte,
 Huic Cuculi numeret tempora longa sonus.

Tempus.

Tempus erit rabidum quando Canis excitat æstum,
Tunc metuens ignem cortice membra teget.
Stulta leues capiunt animos, sua cuiq; libido est,
Vtrem pro cythara gaudet habere Midas.

ASINVS NOHAE, OPPOSITVS ASINIS FLACIANIS.

B Ruta uetus Noë cum clausa teneret in arca
Impius ultrici dum perit orbis aqua :
Tunc uocat in coetum solenni luce clientes,
Et de uirgineo semine uerba facit.
Lapsa memor sortis signabat tempora gallus,
Vnde locum in fani culmine gallus habet.
Grusq; tubæ specimen rostro præstabat adunco ,
Hinc Moses resono finxit ab ære tubas.
Cum tamen omne genus denso subit atria cœtu,
Est asinus sacro iussis adesse loco.
Adfuit, & tabulas caua contudit ungula textas
Sacra pedum strepituerba sonante premens.
Arguit, & pilis Erinaceus impulsi hirtis,
Inde canes huius pellis ab æde fugat.
Dum modus omnis abest , dum uoce silentia turbat,
Et pede non sano robora texta ferit:
Tandem Noha refert: si nulla modestia cordi est,
Sit statio templi publica clausa tibi.
Et postq; in sicco mundum fortuna reponet,
Stridula pistrini tecta colenda dabo:
Quâ Ceres assiduo lapidum decurrit ab ictu,
Et strepit impulsis unda sonora rotis.

Hinc

Hinc primos asini foetus lex abdicat artis,
Tunsaq̄ ceruicis frangere membra suber.
Namq̄ asinos sacra Deus arcet ab æde petulcos.
Impediunt strepitū qui pia uota suo.
Quis neget hunc asinum migrasse in pectora Flacij.
Qui strepit, & sacro limine calce ferit.
Ecce rudens asinus Noha patientis ad aures
Dulcis Euangelij iam labefactat opus.
Indice quo solo peccatum innotuit orbi.
Quod ueram in Christo nescit habere fidem.
Adde quod illius premere si terga Redemtor.
Alter quem Solyma uexit asellus humo.
Hic tergo excussum pedibus uiolare pararet.
Dum λογοπ̄ ē cœli trudere sede cupit.
Morte dabis pœnas autor clamoris inepti,
Cum dat Noha preces, tu maledicta refers.
Cum Domino cantat sacras Ecclesia laudes.
Tu crepitū uentris murmura foeda moues.
Sis asinus, quicunq̄ asini clamore teneris.
Iudicio uulgi ne capiate caue.

IDYLLION DE

CHASSIDDA

Illa ego sum uolucri fundo quæ pastor herilis
Parua, sed in nidis officiosa meis.
Cum pare quæ septem dederant mihi numina foetus,
Mox tamen & pullos dum parit illa perit.
Teutona gens nomen mihi fecit ab arte docendis
Quod mihi commissas instruo mitis aues.
Quodq̄ leto pennas Malo Ridente sub auras,
Veris & æterni uoce saluto dies:

C Hinc

Hinc à laude mihi nomen posuere Latini,
Nec bene de sœua casside nomen inest.
Non ego sum galeæ, nec habendis utilis armis,
Nec mea sunt cirruis æmula rostra tubis.
Olim me rapidus tela inter Martia uentus
Flauit, & hoc moesto nunc quoq; corde gemo.
Bella gerant uolucres ad bella ferocia natæ,
Cum placidis autibus laudet Alauda Deum,
Nam referunt nostras etiam seruasse uolucres
Quæ sapiens illis nomina fecit Adam,
Nunc quoq; quæ nostris tribuit sacra lingua propinquis
Quos bene de storgis Teutona lingua uocat.
Hinc Chassidda uocor, laudem quod grata rependens
Vota Creatori debita reddo meo.
Chassiddam perhibent tumulum struxisse parenti
Hic ubi nunc summo uertice crista tumet.
Pingitur ut tergo gestare Ciconia patrem,
Ut moneat natos de pietate rudes.
Et mihi cum data sit grata pietatis imago,
Quælo mihi priscum redditæ nomen aues,
Nam recte meritos memoris sub uertice gesto,
Nata docere homines, nata sonare Deum.
Nunc quoq; tutelam Philomelæ grata rependo
Quæ mea formavit dulcibus ora sonis.
O si sensa animi ualeam committere chartis,
Carmen & in tabulas ipsa referre meum;
In Libano cygni pennas, Nilq; papyrum
Colligerem, latices uel nigra terra daret.
Dij uolucres seruate piæ, quæ pectora mulcent
Cantibus, ac odium pro pietate ferunt.
Ne fera gens auium crudos exerceat ungues,
Aut turbet strepitu carmina docta suo.
Qualis avis glauco pennas quæ sparsa colore
Ad digitæ nutum uertere colla solet.

Nam

Nam quia contorqueat collum uertiginis instar.
Nomen ab aucupibus stulta recepit quis,
Ast ego cum pullis Philomelam laudibus orno.
Sic mihi Chassidæ nomen & omen inest.

ELEGIA DE STAPHILO.

Asaphus i.e. saphiq' ἵσαμι, οὐδὲ γοῦνορ ἀνυρ δλεῖη.
Et rosa mane uiget, marcida nocte cadit.
Vidi ego ceu lauri germe florere malignum.

Præteriens paruo tempore quarto fuit,
Si et si celebri florere uideris in aula.

O Staphyle, & Cynici dogmata falsa seris,
Diraq' nunc sancti s Christi ministrariis alumnis,

Et furis implexa corda aliena tuis;
Inde tamen uictus diuina uoce iacebis.

Crudeles obitus impius omnis habet,
Igne a marcentem te numinis obruet ira,

Vt perit à Solis uicta calore rosa.
An non à magno qui nomen habebat Iulo

Floruit, & læst uig' dolisq' pios
Floruit, & causa tandem deuictus & armis

Dum iacet, & sparsus uulnere sanguis abit:
Vicisti Galilæe refert, simul iuit ad Orcum

Vmbra gemens, poenas & sine fine luit.
Ille domum bello redditurus funera uouit,

Sed perit, & bello non reddit ille domum
Qui dicunt aliter ueri quam conscientia mens est;

Accersunt furias in sua fata graues.
Sic crepus tigno dum rumpitur illa Iudas,

Poena uenit grauior quo mage sera uenit.

C iñ Aspice

Aspice nigrum Latomum sub morte fidentem. p.m. V.
Se quoq; iustorum sanguinis esse reum. m
Tu quoq; qui flores, fato marcebis acerbo, o
Successum impetas nescit habere diu. o
Sed nos Christe doce, uiresq; uocantibus adde. o
Floreat aeterno nomen honore tuum.

EL E G I A
HORTVS LIBANI
IN QVO DEVS SALVATORES PLAN-
TAVIT HERBAS, ET DE GENERES IRRE-
MPFERUNT, EUMQ; DEFORMARUNT.

Prostet res hominum, totumq; euertere mundum.
Diluvio uisum superis, rapidisq; periret.
Fluctibus horrendum Paradisi nobilis hortus.
Arte Dei nati pulcrum plantatus in Eden;
Tum Deus, ut natu secum meditatus honorem.
Resiceret, ueteris compensans damna ruinæ.
Condidit in Libani montis radicibus hortum,
Plantis, ac alijs exornans strauisbus herbis,
E quibus insignes uariato flore corollas.
Disponat nato, uectus cum nube corusca.
Sponsus erit, sponsamq; suo cum sanguine tintam,
Sanguine mercatam patrio deducet Olympo,
Omnes ut secum socijs in honoribus annos.
Exigat, & uictos uideat super ignibus hostes.

Ergo suas Naturam manus admouit, & hortum
Excoluit, uiresq; dedit spirantibus herbis.
Siue uoluptatis cuiq; seu cura salutis.
Principio citri strauem quæ spargit odorem.
Cura fidelis apum stat humi digesta Melissa.

Fama

Fama refert illo mulierem nomine dicitur
Insignem facie ante alias, quæ sedula nutritrix
Gessit apum curam, postq; concessit ad auras
Pastor Aristæus, mellisq; oleiq; repertor.
Fata pia sed apes ueritaæ nutricis, amantem
Excepere louem uotis, quod proroget annos
Tempora maturæ concedens longa senecta;
Ne forte alqueolis subeat iactura relictis,
Et mellis studium morboq; fameq; relinquant.
Annuit optatis, quod eum puerilibus annis
Dictæo expositum quondam patiere sub antro,
Foemineosq; artus in olentem transtulit herbam.
Nunc quoq; pascit apes, & apum quoq; nomina seruat.
Huius opus proprium est afflictæ nubila mentis
Discutere, & radijs animum purgare serenis,
Et tremulum cordis medicando sistere pulsum,
Et concepta animo uanis simulacra figuris
Tollere, cum bilis, seu cum pituita molesta est,
Illa etiam obstructas cerebri recludere ualuas,
Illa facultates animæ recreare labantis,
Illa animum releuare potest, illa unica morbis
Utilis innumeris certam dat flore salutem.
Hæc etiam uentri quem frigus & improbus humor
Non sinit officium dapibus præstare coquendis
Auxilium uenit, & molli iuuat ilia flamma.
Quem canis arripuit rabioso mordicus ore,
Cui Nepa letifero commisit acumine uirus,
Huius odorato flores perpetet lacho,
Aut saltē folijs curet lita uulnera tritis.
Crebra canum morsus res est nunc, crebra Neparum,
Qui sapit, hinc tutò promat medicamina pastor.

Hanc propè texendis Libanotis commoda sertis
Spargit odora comam tiliæ sub fronde uirentis,

C. iii.

Et rāz

Et radix redolent Libani fragrantia thura.
Utileis haec ægris quos morbus regius angit,
Et latice humentes emendat luminis orbes.

Est flos exiguo referens nasturtia caule,
Utileis affectis læsa coxendice neruis,
Seu cui mota loco coxa est, Iberisq; uocatur,
Antiquos iuxta muros, monumentaq; surgens.

Herbaq; Peucedani specie non dispar anethon
Caulem luteolo producit flore comantem,
Quorum membra graui torpens obstructa ueterno,
Naribus accipiunt halantem floribus auram,
Pulmonis uitium quod uiscidus excitat humor
Auxilio leuat, & sensibus medicatur anhelis
Ruptaq; continuitat diuulsis vincula neruis
Lucinaq; graues est promta leuare labores,
Suffitumq; suo serpentibus officit atris.

Tu quoq; pars horti es medicos Melilotæ per usus
Exercens uires, apibus gratissima nutrix,
Flore Croco similis, nec differt halitus illo,
Tubera qui dulci mollit flammantia succo,
Et leuat incensum nocuis humoribus æstum.

Hic tenet herba locum crucis à cognomine dicta,
Quæ cognata refert folijs & uiribus herbam
Gentius Illyriæ quam rex monstrauit in agris,
Pone stat Erigeron stomachi non segne leuamen
Si quis ab ingrata contraxit bile dolores,
Aspice Gingidium uires quod seruat easdem,
Seu libet elixas herbas, seu sumere crudas;
Vtile nam stomacho succis astringit amaris.

Hic

Hic rosa quæ spinis intersita pendet acutis.
Dulce redemptoris specimen sub imagine præberis.
Nam quæta puniceo distinxit sanguine florem.
Alba prius, fusum signat sub morte cruorem.
Cum rex cœlorum soluebat lytra parentis.
Nec Casiae defunt uirides, maluæq; salubres
Corporibus, uiolæq; genus quod purpura uestis.
Quicq; deum nexis exornat torquibus ora
Et tenet æternis Amaranthus nomen ab herbis.
Nec patitur cariem uestes sentire repostas.
Hic Cerebro gratam diffundit Amaracus auram,
Nec tantum pressura comas, sed & utilis herba
Putre quibus tumuit suffusa corpus ab unda.
Ponè comam spargit Meon, quod dicitur olim
Aeolides Athamas primus monstrasse colonis,
Quod caule & folijs benevolentis constat anethi,
Et ualidas promit uires inimica ueneno.
Hic etiam siliquas emittit Menion alte
Rubra quibus multis conduntur semina granis,

Stat uetus ad uentos fœlix munimen & imbre.
Valle caua conserta Larix, quæ sola procellis
Ventorumq; minis haud uersa, haud eruta mansit.
Perq; hyemes ea sola comis sine transigit æuum
Viscida de cuius promanat stipite gutta,
Vulnera quæ tabo mundat, mundataq; sanat.
Nec Tiliae flores, nec mollis germina Crambes
Transierim, nec te folijs Verbena sacratis,
Quicq; canis rabiem contusum sanat Alysum.
Sic positæ quoniam suaves miscetis odores.

Vidit, & inuidit nigræ Deus arbiter aulæ
Florere Elysium Libani sub collibus hortum,
Quo spirante, siam frustra fœtere Mephitum.
Hunc quia non Boreæ conuellere flabra, nec imbre

Ausine.

Ausint, nec pulchris immissi floribus apri.
Sed fortes latè ramos, & brachia tendens
In longum producta, virum tot sacula vincat:
En vultum assumens mandantis semina ruri
Infelix Lolium, & stirpes conseuit inanes,
Senta situ quâ se messis committat in auras,
Et fœdum exhalet graueolenti virus ab herba.
Pro dulci cythiso, pro flebilibus hyæ in this,
Pro marathri folijs, viridis pro germine rute,
Pro rôsæ, violæ, comis, fœlicia culta,
Lappæ, tribulæ tenent, & Morion herba,
Mala gerens flauis in flore simillima sorbis:
Mansa tamen radix reddit rationis egentes,
Ac inopes mentis gelidae sub imagine mortis
Fundit humo, somnoq; ligat sine motibus artus,
Donec ab incisis soluantur viscera nervis.
Quæ moram curuis inducit Ononis aratris
Sparsa VI Get campis, & ramis spicula tendit.
Et satà Cerbereis quondam mala gramina spumis,
Quæ quia producunt duris in cautibus herbam
Agrestes aconita uocant: hæc stirpe retorta
Radicem inflectunt caudas imitata neparum
Pocula qua natis saeuæ infecere noueræ,

Proxima lactenti stat Colchidos herba liquore,
Bulbus agit rimam qua flos erumpit in auras;
Sed miseris fallit bulbi pro flore legentes,
Stultaq; gustantum dulci capit ora sapores,
Mox necat arcta constringens guttura fauce.

Sed frutices horti in medio diffundit acutos
Dipsacus, & latè dumis horrentibus arua
Occupat, ingentem spargens è cespite sylvam;
Ut quondam explicitis ales Iunonia pinnis
Ipsa

Ipsa sīras ostentat opes, pīnnaq̄ corusca
Stridorem emittit cum signa libidinis ædit,
Et sese inuoluit caudæ gemmantis amictu.
In dorsi medio sinibus folia ampla cauatis
Afferuant rōrem, missumq; ē nubibus imbrem,
Hinc bibuli nomen sītīens contraxerit herba
Quæ dissecta caput rariſ insecta medullis
Continet, hinc pīſces hamo falluntur & esca,

Tu quoq; quæ mutas tet in una luce colorem
Degeneres imitata uiros, tua grama furtim
Immisces hortis, & ERAS tu SARcina ruri,
Trīpolium q; uocant, respondent nomina facto,
Vt sāpē omīnibus ductum stat nomen ab iplis.

Sed quam te memorē quæ flore Melanthion æquans.
Spontē tua segetes inter dominarīs & herbas ē
Te licet & tellus eadem produxit & ora,
Non tamen es uerū licet esse Melanthion optas.
Gith tibi nomen inest, falsum te nomine prodis.

Hoc quoq; proueniens ultrō Galeopsis in horto
Crescit, & ingrato nares contingit odore.
Vrticæ similiſ foetens urtica uocatur.
Lutea Narcissus mentitus lilia surgit,
Hinc quoq; si nescis, appellant Lirion illum
Qui bulbo uomitus stomacho cit inutſlis ipso.
Vrit lsatis agros, alimentaq; subtrahit herbis
Vellera cæruleo tingens infecta colore
Ceū faber argento ductos crateras inaurat.
Et tu syluestres spargis labrusca racemos,
Et tu non ullis antirrhinon utile morbis
Semina quod uituli profers simulantia nares,
Asphalton q; gerens à centum nomina nodis,

D

Dege-

Degeneres herbæ, latè quæ rura prementes
Caulibus, humor em sanis auertitis herbis,
Dicite quos horto tandem illusistis ad usus;
Cæditur, & flammis pascit non utilis arbor.
Vos ego uulneribus statuens adhibere leuandis
Fallor, & elusa tantum profecimus arte,
Quantum qui uitrea quondam lauit Albidos unda
Aethiopem, iussitq; album traxisse colorem,
Ille sed Illyrica mansit pice nigrior artus:
Qui niger est, nulla candorem sumet ab arte.

Quare agite, & memorí mea pectore figite dicta;
Quandoquidem egregias animas qui nocte, dieq;
Utilibus studijs de religione merentur
Confoditis spinis, & dulcis nomine succi
Mentibus inseritis dirum & lethale uenenum,
Perq; domos, & templa Deum foetoribus auras
Inscitias, frondes non passæ stringere inanes;
Nil mihi uobiscum est, nec germina uestra uidebo
Connexa in sertis quæ pulcher habebit Adonis:
Linquimus hæc uestro quondam carpenda Satori,
In fascem stringenda suæ sub tempore messis,
Exprimet hic uobis stygia fornace liquorem,
Ut Caco Ausonio uiolaria grata uaporem
Lethæis haletis agris per regna silentum,
Per pice fordanentes atraq; uoragine campos,
Illi gratus odor certamina uestra fuerunt,
Gaudet usq; licet, paruo post tempore flebit.

F I N I S.



Eint Lied von dem neuen Wendischen Guckuck / Im alten Thon / Der Guckuck hat sich zu tod gesallen / von einer holen Weiden.

Ex antiquo Oraculo.

Occidit exesa delapsus ab arbore Coccyx,
Quis poterit longos canticu nunc fallere soles?
Tu Philomela potes, dominam te regna tenere
Fata uolunt, tibi uox, tibi sancta modestia uocis.

1 Er Guckuck fliegt vom wilden Wald
Aus frembdo Wendischem Lande/
Sein gesang ist böser art vnd kalt
Im selbs zur Buß vnd schande.

2 Illyricus Vnflacius
Vnd Matthes heissst sein Name/
Derselbe Gauch wil oben aus
Wider Gott ehr vnd schame.

3 Das from Grassmücklin het im gut/
Vnd lies in bey sich wonen/
Was vbel stiftt der Wendisch hut/
Vnd schmiss ins Nest zu lohne.

4 Die Mutter wil er fressen auch
Thut sie mörderlich beraussen/
Es glingt im nicht dem bösen Gauch/
Er mus da von entlaussen.

5 Er flattert in die Kirch hinein/
Der Schrifft hat er vergessen/
Darzu er nicht geweiht kan sein/
Des hat er sich vermessn.

6. Ein bōs Gewissen hat der Gauch/
Von lügen vnd von schelten/
Wenn jn nu beißt der Hellisch rauch/
So hüet er sich vor gelten.

7. Zu Jen wol auff der Hohen Schul/
Wer jn hat hin gebeten/
Setzt er sich auff den Moses Stuel/
Die andern wil er treten.

8. Die Lerer wil er durch ein spot/
Zum rechten Brun erst führen/
Steckt selbs mit Lass vnd Maul im Kot/
Ist niemand schwer zu spüren.

9. Das Göttlich wort nennet das maul/
Speit gifft vnd Gall darneben/
O böser Gauch dein grund ist faul/
Weih das dirs Gott vergebe.

10. Wie manche Seel schreit vber dich/
Die sich an dich verirret.
Ein schweres vrteil hat auff sich
Der Christen Leut verwirret.

11. Du hengst dich viel an grosse Herrn/
Die dich noch nicht recht kennen /
Das Deuds chland wolstu leider gern
Zu mord vnd Krieg anbrennen.

12. Thue Buss/vnd red von Gott gewis/
Schertz nicht mit solchen dingen/
Es find sich endlich/gleubs gewis/
Wo nach man pflegt zu ringen.

13. Das hat dir Kurtz zum neuen Jar.
Ein Vögelin gesungen /
Du werßt klag oder bleibst ein Narr/
Jetzt hats also geflungen.

Finis.



